



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118855**

§. 98. Mustapha ex throno Ottomanico rerum dejectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. incendiis, rapinis ac cædibus deva-  
A. C. 1623. starint.

## §. XCVIII.

*Mustapha ex throno Ottomanico rur-  
sum dejectus.*

*Ludolph. l. c.* **M**agis turbatæ erant res in Imperio  
*Meteran. l. c.* Ottomanico; cum enim Mustapha  
*p. 414. 431.* Imperator senio & mentis vitio tantæ  
*Jæger. Hist.* Majestatis impar esset, Mustius seu su-  
*Eccl. p. 406.* premus Turcicæ superstitionis Præsul  
*Lotich. rer.* sub specioso Osmanis dignissimi Monar-  
*Germ. p. 365.* chæ cædem ulciscendi obtentu Janis-  
*Ortel. cont.* faros ad seditionem concitabat, hanc-  
*pag. 98.* que in rem vexillo palam exposito om-  
*Sagredo* nes Muselmanos invitabat, ut cunctis  
*Mem. istori.* viribus communi indemnitatî prospice-  
*pag. 630.* rent, eoquod stupido Regi obedire,  
Alcorani lege vetitum esset, eoque re-  
gnante nec preces Mahometi Prophetæ  
forent acceptæ, nec valida Turcarum  
matrimonia. Nihilominus Regina Mu-  
staphæ conjux venalis hujus Mustii  
iram placabat, oblata ingenti pecunia-  
rum vi, datisque satelitio Regio vi-  
ginti quatuor aureorum millibus. Re-  
crudit tamen paulopost nova seditio,  
quam Chussainus nuper a Vezirii di-  
gnitate amotus, conciliatis sibi Janissa-  
ris concitabat, obtendens, quod po-  
pulus Osmanis inique trucidati macu-  
lam

lam nonnisi Dahuti Vezirii cæde eluere vellet: unde hic tanquam Regicidii Author unacum Gobego Bassa, qui Osmani auriculam absciderat, capite plexus est: cum vero interim Babylo- niæ Præfectus in Asia, & Abassa Acze- rumæ arcis Gubernator seditione mota cum valido exercitu Osmanis mortem ulcisci pararent, interfectisque octo Janissarorum millibus Accisuram urbem suis armis subjicerent, Janissari Con- stantinopoli degentes Chussainum Ve- zirium exauctorari, conventuque pri- vato in Solimani Moschea habito Mu- stapham Imperatoris dignitate spoliari petierunt, eoquod ob animi imbecilli- tatem sedandis hisce tumultibus impar esset: Nihilominus Turcici Imperii Pri- mores ipsum prius Mustapham audien- dum esse, interrogandumque censebant, quibus mediis tranquillitatem in Asia resti- tuere meditaretur? cum autem (ut probe prospexerant) nullum omnino pru- dens responsum dare posset, re ad Se- natum delata Mustius damna ex Mu- staphæ imbecillitate in Imperium Ot- tomanicum redundantia prolixo ser- mone exaggerabat, quo absoluto po- pulus, militesque incondito clamore Amurathem IV. Osmani Fratrem ter- tio genitum, nonnisi duodecim annos natum in Ottomanicæ potentiaæ Impe-  
*Hist. Eccles. Tom. LVII.*      Zz      rato-

Sæc. XVII.

A. C. 1623.

~~XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX~~

Sæc. XVII ratorem numero vigesimum primum  
A. C. 1623. die duodecima Octobris promulgarunt,  
 Mustapham vero ad carceres veluti ad  
 propriam sphaeram suam retruferunt;  
 inde enim nonnisi violento fortunæ im-  
 pulsu in altum raptatus erat, ut lapsu  
 graviore in ima denuo rueret. Tem-  
 pestiva autem fuga Janissarorum  
 rabiem effugerat Cussainus Vezirius;  
 ei tamen, qui vivum aut mortuum  
 reduceret, quinque aureorum millium  
 pretium constituebatur. Paulopost Fer-  
 dinandus Cæsar Curtio Barone Constan-  
 tinopolin misso vicennale foedus sub Ru-  
 dolpo II. Imperatore pactum ad alios  
 viginti annos cum Amurathe Sultano  
 confirmari petiit, obtinuitque.

## §. XCIX.

*Fœdus inter Galliarum & Sabaudia  
Reges ac Venetos.*

*Ferreras*  
*contin. t. II.*  
*cap. I. p. 417.*  
*Theatr. Eu-*  
*rop. p. 764.*  
*Priorat. Hist.*  
*Ferd. II.*  
*part, I.*  
*Lotich. rer.*  
*Germ. l. 13.*  
*cap. 6.*

**N**ondum apud Rhætios per Linda-  
 viense colloquium compositi erant  
 bellici motus, novæ altercationis fo-  
 mitem subjiciente Theodoro Trivultio,  
 qui Misoccensem vallem a suis Majori-  
 bus feudi nomine possessam favente Fer-  
 dinando II. Cæsare recuperare niteba-  
 tur, Gallorum tamen potentia territus  
 juri suo interim cesserat: Verum acrius  
 pungebant Gallos recens reportatæ Au-  
 stria-